



Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

96. Rodulphus Dux Saxoniae, & VVenceslaus Brabantiae ac Luxemburgi
Dux, inter se contendunt de munere Ensiferi Imperialis. Carolus IV. Imp.
controversiam terminat & componit, anno 1357.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

CAPVT XCVI.

*Rodulphus Dux Saxoniae, & VVenceslaus Brabantiae ac Luxemburgi
Dux, inter se contendunt de munere Ensiferi Imperialis.
Carolus IV. Imp. controversiam terminal & com-
ponit anno 1357.*

CAROLVS IV. diuina fauente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex, notum facimus, tenore præsentium vniuersis,

Quod cum in solemnij curia nostra Imperiali, quam in ciuitate Metensi, sacratissimo die Natiuitatis dominice, cum vniuersis Principibus, Electoribus ecclesiasticis & secularibus, præsentibus etiā alijs Principibus, proceribus & nobilibus, in multitudine numerosissima celebrauimus, inter illustres RODVLPHVM Ducē Saxonijæ, sacri Imperij Archimareschallum, auunculū nostrum, ex vna, & WENCESLAVVM Lucemburgi, Lotharingijæ, Brabantiae, & Limburgi Ducem, sacrique Imperij Marchionem, fratrem nostrum, ex alterna parte, suborta fuisset materia questionis,

Vter videlicet eorum, ENSEM nostrum IMPERIALEM, in prædicta & alijs solemnibus curijs Imperialibus, ante faciem Maiestatis Cesareæ præcedendo gestare, seu Imperatore vel Rege Romano in mensa, vel pro tribunali sedenti, coram eo tenere deberet, viroque ipsorum hoc sibi competere contendente:

Nos volentes contentionem huiusmodi sopire, & scandalis, quæ exinde nasci possent, aditum præcludere per semitam æquitatis, habito cum Electoribus & alijs Principibus antedictis super hoc maturo consilio,

Considerantes, quod prædictus frater noster Ducatum Brabantiae & Marchionatum prædictos (quorum virtute Ensem ipsum ad gerendum, ut præmittitur, & tenendum sibi dari petebat) à nostra Celsitudine nondum suscepit in feudum, nec de feudis Ducatus & Marchionatus eorundem per nos adhuc exstitit inuestitus,

Declarauimus, & tenore præsentium, auctoritate Imperiali, declaramus expressè, eidem fratri, Lucemburgi, Lotharingijæ, Brabantiae & Limburgi Duci, & Marchioni Imperij, in iuribus, priuilegijs,

legijs, sibi & dictis Ducatui & Marchionatui, præsertim circa portationem & tentionem Ensis Imperialis competentibus, nullum per hoc præiudicium generari, vel in posterum illud sibi posse vel debere quouis modo nocere, quod præfatus Dux Saxonie, in hac curia nostra, Ensem ipsum ante faciem nostram gestauit, & etiam circa mensam nostram Imperiale tenuit coram nobis; præsentium, sub Imperialis Maiestatis nostræ sigillo, testimonio litterarum.

Datum Metis anno Domini M. CCC. LVII. Indictione X. Nonis 1357.
Januarij, stilo Gallico, regnum nostrum anno XI. Imperij vero secundo.

Signum Boëmundi Archiepiscopi Treuerensis.
S. Gerlaci Archiepiscopi Moguntinensis.
S. Wilhelmi Archiepiscopi Colonensis.
S. Roberti Comitis Palatini Rheni.
S. Ludouici Marchionis Brandenburgensis.

N O T A T I O .

QVORVM virtute.) Notet Lector, Wenceslaum non ut Luxemburgi, sed ut Brabantie Ducem, & S. R. Imperij Marchionem, præterisse munus Ensiferi Imperialis.

C A P V T X C V I I .

Oelen, VVesterlo, & alia prædia pagi Riensis, apud Herentaliam
Brabantie opidum sita, que Barones VVesemalij antea posse-
derant, ab Ultraiectinis Canonorum collegijs, S.
Martini & S. Saluatoris, dantur in emphi-
teusim Richardo domino de Merode
& Frentz. Id liquet ex diplo-
mate dato an. 1429.

VNiversis & singulis Christi fidelibus præsentia visuris se auditri-
ris, nos Decani & Capitula maioris, & S. Saluatoris Traiecten-
sis, ecclesiarum, in opido Arnhemensi, Traiectensis dioecesis, re-
sidentes; translatione Capitulorum nostorum & aliarum ecclesia-
rum